



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pvgnā Spiritvalis**

**Scupoli, Lorenzo**

**[S.l.], 1599**

**VD16 S 5184**

Cap. II. De suÿpsius Diffidentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49116](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49116)



*ad spi-* victorem esse oporteat. Ita-  
*ritualē* que ut tanquam strenuus mi-  
*pugnā.* les Christianus istud feliciter  
 consequaris, quatuor genera  
 spiritualium armorū tibi sunt  
 necessaria. Scilicet 1. Diffi-  
 dentia de teipso.  
 2. Confidentia in Deo.  
 3. Iugis exercitatio.  
 4. Deuota oratio. De qui-  
 bus armis, auxiliante Deo, de-  
 inceps ordine, breuiterque  
 trademus.



## CAPVT II.

De Diffidentia sui ipsius.

Diffi-



**D**iffidentiam hanc tui ipsi-  
us, tribus salutaribus me-  
dijs tibi comparare poteris:  
quorum primum, vt agnoscas  
verè, intimèque consideres  
extremam vilitatem ac miseri-  
am tuam: simulque apud te  
certò statuas, nihil prorsus te  
boni ex teipso facere vnquam  
posse. Etenim homo ad faciē-  
dum opus bonum ac merito-  
rium apud Deum ex seipso, nō  
aliter impeditus est, atq; grā-  
dis lapis ad motum sursum. Et  
eandem prope inclinationem  
habet homo ad malum, quam  
grandis lapis deorsum ad ter-  
ram.

*Media  
eam cō  
parādi  
teria.*

*Homi-  
nis vili-  
tatis.*

Al-



2. Alterum medium est, vt  
*Orati-* hanc tui Diffidentiam, quo-  
*one o-* niam solius Dei donum est, hu-  
*pus.* milibus & ardentibus preci-  
 bus ab ipso efflagites. Sed pri-  
 us apud te statuas veréque a-  
 gnoscas oportet, te eadē pror-  
 fus destitutum esse, nec vnquā  
 per te ipsum eam posse acqui-  
 rere; vt sic totus nudus, fide  
 constanti ad Deum accedas:  
 beneque speres ipsum Orati-  
 onem tuam benignè exaudi-  
 turum, & quam optas tui ipsi-  
*Sustinē* us Diffidentiam, copiosè lar-  
*sia ne-* giturum. Oportet tamen Ora-  
*cessa-* tionem hanc de die in diem fi-  
*ria.* eri ardentiolem: atque in ea-  
 dem



dem perseverando æquanimi-  
ter expectare, donec diuinæ  
prouidentia placitum sit, istā  
tibi tui ipsius Diffidentia gra-  
tiam clementer tribuere. Hoc  
si feceris, nihil dubites, eam  
te aliquando consequaturū.

Tertium mediū, vt si quā- 3.  
doque lapsus fueris in pecca- *Vt à la*  
tum, protinus mentis tuæ o- *psibus*  
culos, ad iam dictam, Vili- *resur-*  
tatem, miseriam, & ad fa- *gendū.*  
ciendum bonum impotenti-  
am tuam convertas. Nisi enim  
eam intimè in te agnoscas, sin-  
cerèque confitearis, nunquā  
à lapsibus securus eris.

Quicumq; n. se cum incre-  
ata

ata



ata veritate vniri desiderat, hu-  
ic sui ipsius vera intimaque co-  
*Super-* gnitio omninò est necessaria.  
*bi faci-* Deus quippe homines super-  
*lè, &* bos ac præsumptuosos finit  
*cur la-* quandoque in graue aliquod  
*bütur.* peccatum incidere; vt ad pro-  
priam vilitatem, fragilitatem-  
que suã agnoscendam eos fle-  
at ac deprimat. Et quantò  
cuiusque superbia maior mi-  
norue fuerit, tantò grauius e-  
tiam aut leuius eum Deus labi  
permittit: vsq; adeò, vt si nul-  
la in homine superbia (sicut in  
Deipara Virgine MARIA) ef-  
fet, nunquã eum Deus in pec-  
catum labi permetteret.

Pro-



Propterea mox ubi in peccatum aliquod lapsus fueris, festina cogitationibus tuis ad humilem agnitionem tui ipsius, & ardentibus precibus incessanter Domino Deo tuo supplica, ut verum tuæ menti lumen infundat, ad agnoscendam infirmitatem, miseriamque tuam: sic te deinceps à grauioribus lapsibus benignè seruare atq; defendere dignabitur.



## CAPVT III.

*De Confidentia in Deo solo.*

Est